

populo sui Ritus exerceat aut versa vice Latinus in Orientalium Ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum Orientales illi in civitate Balsestae peculiari careant Ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum Ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae Sacrificium offerre possent et cum populo sui Ritus ea exercere, quae peragenda sunt ad illos in sancta unione retinendos ac confovendos.

§. 33. Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent solliciti Ordinarii quoque Latini, quibus Italo-Graeci subijciuntur, ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent: uti praecipitur in Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis*: 57. n. 6. n. 14. *Bullarii nostri tom. I.* Vetita quoque Ritus permixtio esset, si Latinus Sacerdos modo juxta Latinum modo juxta Graecum Ritus aut Sacerdos Graecus modo Graeco modo Latino Ritu Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione s. Pii V., quae incipit: *Providentia*, quaeque est 21. tom. IV. part. 2. *Bullarii novi Romae impressi* \*), ubi facultates omnes, quae praecedentibus temporibus nonnullis Presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic Constitutioni s. Pii V. congruit quoque praedicta nostra §. 7. n. 10. Quod si Presbyteris S. J., qui Collegiis Nationum Orientalium

\*) Edit. Luxenbg. tom. II. p. 205.

Romae erectis praesunt et qui praedictae societatis institutum amplectentes a Graeco Ritu ad Latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae Sacrificium Graeco et Orientali Ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti praemonuimus, ut Alumni, qui Graecorum et Maronitarum Ritus profiteri debent, Missam praedicto Ritu celebrare ad discant et juxta eundem Divina Officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiare hujusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda, quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI. Praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum Catholicae Religioni, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria Graeco Ritu celebrent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad Latinum Ritus redirent; idem tamen Pontifex perpensans animo debere unumquemque juxta canonicas Sanctiones in suo Ritu permanere neque licere Sacerdoti modo Latino modo Graeco Ritu celebrare, facultatem, quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit, uti patet ex ejus Epistola in forma Brevis, quam ad eundem Cardinalem dedit 9. Maii anno 1705 et quae continetur tom. I. *Epistolar. et Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis editor. p. 205.*

§. 34. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad Ritus commixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam: verum, uti jam diximus, interdicta Ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam Sacerdos Orientalis Ritus ab Apostolica Sede probati in Latinorum Ecclesiam admittatur, ut ibi Missam caeterasque functiones celebret et Sacramenta populo Nationis

suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi Sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis et Graecis patent ad Missam celebrandam templa nostra, ut illorum pietati satisfiat, quamvis suas peculiare Ecclesias habeant, ubi rem divinam facere possent, dummodo tamen sacra Indumenta et caetera, quae ad Missae celebrationem juxta ipsorum Ritus necessaria sunt, secum afferant eosque comitetur Nationis suae Minister, qui eisdem celebrantibus inserviat et a Custodibus et Sacrarum Praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur, quemadmodum in Edicto, quod pro ecclesiasticis et laicis Orientalibus Romae degentibus die 13. Febr. anno 1743 per Ven. Fratrem nostrum Joannem Antonium tunc tituli s. Sylvestri et Martini in Montibus Presbyterum, nunc Episcopum Tusulanum, S. R. E. Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe ejusque districtu Vicarium gen., jussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II. Constantinopolim vi oppugnata cepit nonnullique ex Graecis, qui schismaticorum errores aversati communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt ibique mansere. Quam in Urbem cum Isidorus Cardinalis natione Graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romanum Pontificis desideria, ut hujusmodi Graeci Ritus hominibus templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata Senatus pietas profugae genti Ecclesiam s. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo ejusdem Ecclesiae Sacello Divina Officia Ritu Graeco, in reliquis vero Sacellis Latini Ritu Latino peregerunt, sicuti Fla-

minius Cornelius Scriptor clari nominis testatur in decad. 14. Venetarum Ecclesiarum pag. 359: *Gemini itaque Ritus Officia per aliquot annos in una Ecclesia licet in diversis Sacellis peracta fuerunt*: quod eo usque obtinuit, donec aucto Graecorum numero praedictae Ecclesiae s. Blasii Latinis Graecisque communi aliud subrogatum fuit templum, quod Graecorum proprium esset ac privativum.

§. 35. Haec ad Graecos pertinent, qui celebraturi in Latinas Ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi Ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus proscripam; non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad Sacrificium Missae offerendum et Divina Officia persolvenda in Graecorum Ecclesiis ex justa aliqua causa admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter Catholicos licet diversi Ritus animorum conjunctio et benevolentia. In Russia Alba Rutheni Catholici, quos Unitos vocant, plures habent Ecclesias, paucas vero Latini et quod magis est, longe distitas a pagis Latinorum, qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius Sacrificio Latinae Missae carebant, eo quod suis negotiis detenti nequibant tam longum iter aggredi, ut ad Latinas Ecclesias se conferrent, neque Latini Presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum Ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod Ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo se jungeretur. Itaque, ne Latini Missa Latino Ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut Latini Sacerdotes in Latinorum commodum Latinas Missas in Ruthenis Ecclesiis celebrent. Verum hac ipsa in re ea

occurrebat difficultas, quod altaria Graecorum sacro lapide careant, cum ipsi celebrent super *antimensiis*, quae sunt *lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis sanctorum reliquiae includuntur*; quamobrem Latini Sacerdotes sacrum lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente in commodo ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium opulante Deo inventum adhibitumque fuit: siquidem consentientibus etiam ipsis Ruthenis indultum fuit Latinis Presbyteris, ut Missam Latino Ritu celebrarent in Ruthenis Ecclesiis et super illorum *antimensiis*: idque eo vel expeditius visum est, quod Rutheni Sacerdotes, accedentes quandoque ad Latinas Ecclesias Missam inibi celebraturi super nostris sacris lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra: *Imposito Nobis*, quae quadragesima tertia est, Bullarii nostri tom III. \*)

§. 36. Praeclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subjicemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiteritne juxta veterem disciplinam in Basilicis Ecclesiae Occidentalis unum an plura altaria? Primum quidem affirmat *Schelestrat. part. 1. Actor. Ecclesiae Orientalis cap. 2. de Missa privata in Ecclesia Latina*: sed contra Cardinalis *Bona Rerum Lyturgicar. lib. 1. cap. 14. n. 3.* innixus auctoritate Walfridi cap. 4. plura altaria fuisse in Romana Basilica s. Petri demonstrat. Verum, si de templis atque Basilicis Orientalibus et Graecis sermo sit, perspicuum videtur non nisi unum altare in ipsis extitisse atque nunc etiam temporis plerumque existere, uti colligitur ex lineari descriptione

\*) Edit. Luxenbg. tom. XVIII. p. 205. Cf. *Missae in altari etc.; Portatile* (usus).

hujusmodi templorum, quam *Du Can- gius in Constantinopoli Christiana, Beveregius in notis ad Pandectas Canonum et Goarius in Euchologium Graecorum* attulerunt. Cumque in templo s. Athanasii, quod Romae a Graecis obtinetur, plura extarent altaria, Leo Atlatus in epistola ad Joannem Morinum scripta de templis Graecorum recentiorum n. 2. asserere non dubitavit, in praedicta Ecclesia nihil graecae formae reperiri praeter *Bema*, id est *Sepimentum*, quod *Aram majorem a reliquis Ecclesiae partibus secernit. Ad illud autem altare, ad quod Sacerdos Missam celebravit, nequit alius Sacerdos eodem die iterum Missae Sacrificium offerre.* De hac Graecorum disciplina verba faciunt Dionysius Barsalibaeus *Jacobita*, Amidae Episcopus, in explanatione Missae et Cyriacus Jacobitarum Patriarcha apud Gregorium Barhebraeum item *Jacobitam* in suo directorio, quod citat *Assemanus tom. II. Bibliothec. Oriental. p. 184 ac tom. III. part. 1. p. 248.* De hac eadem disciplina Cardinalis *Bona* cit. cap. 14. n. 3. ita scriptum reliquit: *Unicum altare in suis Ecclesiis habent nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eadem die iterare.* Euthimius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus et Cyrillus Patriarcha Antiochenus Graecorum in Pontificatu Clementis XI., Benedicti XIII. et Clementis XII. pluries sciscitati sunt: an vigentem relinquere deberent praedictam disciplinam ventantem, ne secundum Missae Sacrificium eadem die eodemque in altari offeratur. At illis semper responsum fuit, nihil esse innovandum sed veterem Ritus omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missae Sacrificium eadem die idemque ad altare, in quo alius Sacerdos celebraverat, quia Sacerdos, qui posterior celebra-

ret, iisdem sacris indumentis, quibus primus uteretur, jejunium frangeret, ideo in nostra Epistola Encyclica ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et ad Episcopos Catholicos eidem subjectos conscripta iisdem praecepimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere, ita tamen, ut integram servarent disciplinam, juxta quam ad altare, ubi Sacerdos celebravit, alius Sacerdos eadem die offerre prohibetur, uti videri potest in Constitutione nostra, quae incipit: *Demandata*: 87. Bullarii nostri tom. I. \*)

§. 37. Denique communis olim fuit Occidentali aequae ac Orientali Ecclesiae Ritus, ut Presbyteri una cum Episcopo Missae Sacrificium offerrent: hujus rei documenta congesta fuerunt a *Christiano Lupo* in *Appendice ad Synodum Chalcedonensem tom. I. ad Concilia generalia et provincialia primae editionis* §. 994., dum haec verba *Bassiani* interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat*, et a *Gregorio tom. II. Lyturgiae Pontificiae p. 1. et seq. ac tom. III. p. 1. et seq.* Concelebrandi Ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione Sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in Consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit vigetque adhuc frequentior usus concelebrationis Presbyterorum cum Episcopo aut cum alio Sacerdote, qui primi Celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones, quae Apostolicae nuncupantur lib. 8., et ad Canonem octavum ex iis, qui Apostolici dicuntur. Porro ubicunque ea consuetudo inter Graecos et Orientales viget, non modo approbatur sed etiam custodiri

\*) Edit. Luxenbg. tom. XVI. p. 166.

praecipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata: *Demandata* §. 9.

§. 38. Ex Graeco et Orientali hoc Ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium: *an privatis Missis, quae ab uno Sacerdote celebrantur in Orientali et Graeca Ecclesia, locus esse possit, cum in graecis templis unicum, uti praediximus, altare existat, unicum ad illud Missae Sacrificium offeratur*, et Sacerdotes cum Episcopo concelebrent aut cum Sacerdote, qui primi Presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidam Lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatae Missae tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanam Patriarcham mittere eumque ad eandem amplectendam allicere; cum tamen privatae Missae usus ac disciplina in Orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur ex *Canone 31. Concilii Trullani* et ex notis, quas in ipsum composuit *Theodorus Balsamon*, ideo et Ritus frequentis concelebrationis Sacerdotum cum Episcopo et intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit, quare in irritum cesserunt conatus Lutheranorum, quibus responsum fuit: damnari quidem ab Orientalibus sicut ab Occidentalibus pravum illorum usum, qui improba consequendae eleemosynae cupiditate ad altare impelluntur, non vero illorum, qui, qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo Sacrificium offerant acceptabile. Haec patent ex *Actis Ecclesiae Orientalis contra Lutheranos* auctore *Schelestrato cap. 1. de Missis privatis in Ecclesia Graeca circa finem.* In commodum autem Sacerdotum, qui privatum Missae Sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare unum tantummodo Sacrificium in dies singulos offeratur,

Graeci constituere ceperunt *Paracclēsias*, de quibus verba facit *Leo Alatius in citata Epistola ad Joannem Morinum*. Paracclēsiae vero nil aliud sunt, quam Oratoria quaedam Ecclesiae contigua, in quibus erectum ad est altare, ubi Sacerdotes Missam celebrant, quam in Ecclesia celebrare nequeunt, eo quod ad altare in ea instructum alius Sacerdos jam celebraverit.

§. 39. Alii vero ab hac Orientalium et Graecorum disciplina merito timendum censuerunt, ne Latini Sacerdotes ab offerendo Missae Sacrificio in Graecis Ecclesiis perpetuo excluderentur, eo quod, uti supra dictum est, in illis unicum altare existat, ubi eodem die unus tantum Sacerdos potest celebrare, neque Latini Presbyteri celebrare possint in Paracclēsiis utpote pro Graecis tantummodo constitutis. Verum ad hunc ipsum timorem auferendum in Graecis Ecclesiis hoc tempore erectum plerumque cernitur secundum altare, in quo Divinum Sacrificium a Latinis Sacerdotibus offeratur. Tres Graecorum templorum formas expressit *Goarius in Euchologium Graecorum*, quarum tertia secundum altare exhibet Latinis Presbyteris positum, sicut ipse *Goarius* loco citato perpendit et prosequitur. *Schelestrat.* loco superius allato 887. In Ecclesiis nationis Maronitarum et Graecorum Romae existentibus praeter Aram majorem alia occurrunt altaria, in quibus a Latinis Sacerdotibus Missa celebratur; et in nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis*: 57. §. 6. n. 8. et 9. nostri Bullarii tom. I., qua Italo-Graecis tutissima traditur agendi norma, prohibentur Latini Sacerdotes in Graecorum templis super Ara majori celebrare, nisi omnimoda necessitas id postulet et parochi Graeci consensus intercedat; ibique insuper Graecis conceditur, ut suis in templis praeter altare majus alia quoque altaria possint eri-

gere, in quibus Latini Sacerdotes, si velint, Missae Sacrificium celebrare valeant.

§. 40. Ex his, quae hucusque dicta sunt, videtur jam perspicue demonstratum, sicuti antea ita et in posterum permitti debere Catholicis Armenis et Syriacis, qui Balsevae Latinis commixti commorantur propriaque carent Ecclesia, ut in Latinam conveniant et in ea juxta Ritus quoque suum sacras functiones peragant idque eo magis, quia non solum nulla exinde oritur Ritus permixtio per Apostolicas Constitutiones damnata sed urbanitatis Officia exercentur vel potius praecepta implentur aequitativi cujusdam juris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quae jure aliquo praestare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud superest, quam praecipere, ut omnia ad debitae charitatis leges exigantur, ut Sacellum Orientalibus assignetur aut pars aliqua Ecclesiae, in qua suis functionibus obeundis incumbant et quanta fieri potest cura impendatur, ut aliis horis Latini alii Orientales suas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat, proxima suberit causa dissensionum, quae binos Praedecessores nostros Leonem X. et Clementem VII. tantopere vexarunt, tum scilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio sub Eugenio IV., ne Graecis ulla molestia in suis Ritibus ac Caeremoniis observandis inferretur, relatum est ad praedictos Pontifices, quod nonnulli ex Latinis Graecorum Ecclesias adibant et ad illorum altare Missam Latino Ritu celebrabant eo consilio, ut Graecis Sacerdotibus impedimentum crearent, ne Sacrificium Ritu suo offerre suasque functiones peragere possent, adeo ut Graeci nonnunquam, ipsis diebus festis, Missae Sacrificio carerent: *Nescitur, quo Spiritu ducti (de La-*

*tinis Presbyteris sermo est) interdum altaria dictarum parochialium Ecclesiarum praeoccupant et ibi contra voluntatem eorumdem Graecorum Missas et forsitan alia Divina Officia celebrant, adeo quod dicti Graeci saepenumero sine auditione Missarum cum magna animorum molestia festivis et aliis diebus, quibus Missas audire consueverunt, remaneant.* Pontificias hasce querelas refert monumentum, quod incipit: *Provisionis nostrae*, extatque in Enchiridio Graecorum impresso Beneventi anno 1717 p. 86. Non est profecto, cur illis nostras addamus conquestiones, quae tamen nec leviores essent neque opportunis remediis destitutae, si unquam ad Nos deferretur, Balsevae a Latinis nostris prohiberi Orientales, ne in Latinis Ecclesiis possint functiones suas peragere.

§. 41. Primae huic altera succedit quaestio eosdem attingens Armenos et Syros, qua disquiritur: *an iidem ad statuendum tempus Paschalis aliorumque ei respondentium festorum possint veteri Calendario* uti vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in Latinis Ecclesiis Sacra conficiunt, et quatenus iisdem licitus dicatur veteris Calendarii usus: an hujusmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui suam quidem habent Ecclesiam sed adeo angustam atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non possint, eorum plerique Latinas Ecclesias adire compellantur.

§. 42. Neminem latent, quae a Sanctis Romanis Pontificibus Pio et Victore atque etiam a Nicaena Synodo de recta Paschatis celebratione sancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservatam fuisse provinciam correctionis Calendarii, ac demum Gregorio XIII. Pontifice fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem *Bucherius in Commen-*

*tario de doctrina temporum* in Praefatione ad Lectorem ita scripsit: *Computi Paschalis in futurum certitudini jubente Gregorio XIII. Pontifice noster abunde providit Clavius.* Is fuit e S. J. Sacerdos Matheseos peritissimus, qui in Calendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cujusdam Aloysii Lillii, qui plures annos in illis componendis insumverat. Perpensis denique libratisque omnibus in pluribus Congregationibus, adstantibus adhibitisque in Consilium peritissimis quibusque viris prodiit anno 1582. Constitutio praescribens Calendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas*, in Ordine LXXIV. in veteri Bullario tom. II. \*)

§. 43. Veteri igitur Calendario hac Pontificia Constitutione abrogato Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus aliisque Praelatis imperatum fuit, ut novo emendatoque Calendario uterentur, quemadmodum in eadem Constitutione legere est fusiusque eruitur ex ejusdem Pontificis Annalibus Romae impressis anno 1742 tom. II. p. 271. Verum, cum in Constitutione nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio: num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a doctoribus modo instituitur, ut videre est apud *Azorium Instit. Moral. tom. I. lib. 5. cap. 11. quaest. 7.*, apud *Baldellum in sua Theologia morali tom. I. lib. 5. disput. 41.*, sed etiam proposita discussa fuit in praestantium Virorum conventu habito die 4. Julii anno 1634, in aedibus Cardinalis Pamphili, qui ad Summum Pontificatum evectus Innocentii X. nomen assumpsit. Haec autem tunc prodiit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificis Constitutionibus*

\*) Edit. Luxenbg. tom. II. p. 487.

nisi in tribus casibus: primo in materia dogmatum fidei, secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium. Refertur haec resolutio tum a Verricello de Apostolicis Missionibus lib. 3. quaest. 83. n. 4., tum a Nobis in nostro opere de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 38. num. 15.

§. 44. Hanc quaestionem Nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim Nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa praecedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quaesito redditum, nimirum: *Nihil esse innovandum.* Italo-Graecis, qui inter nos vivunt et regimini subijciuntur Latinorum Episcoporum, in quorum dioecibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum Calendarium conformarent, uti percipi potest in citata Constitutione nostra: *Etsi Pastoralis*, 57. §. 9. n. 3. Et Clerus quidem Ecclesiae Colleg. s. Mariae de Grapheo civitatis Messanensis, qui Graecum Ritus retinet, accuratissime novum Calendarium servat, uti videre est in altera Constitutione nostra: *Romana Ecclesia*, quae est 81. §. 1. eodem tom. I. \*) nostri Bullarii: at tamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam gravioribus id requirentibus causis Epischeiae locus sit relictus. Renuerant Armeni Catholici Liburni degentes sese Calendario Gregoriano subijcere precesque Innocentio XII. obtulerunt ut eos veteri Calendario uti permitteret. Etenim in Congregatione s. Officii feria IV. die

\*) Edit. Luxenbg. p. 153 tom. XVI.

20. Junii 1674. Decretum hujusmodi emanaverat: *Nuntii Apostolici Florentii relatis iterum literis datis die 10. Apr. circa petitiones ei factis ab Armenis orandi in Missa pro Patriarcha Armenorum et circa celebrationem Paschatis et aliorum Festorum secundum eorum Ritus, id est secundum calculationem antiquam, quae erat ante correctionem Calendarii et circa celebrationem Paschatis etc. nec non relata scriptura remissa a Sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in Missa pro Patriarcha Armeno: rescribatur Nuntio quoad permissionem orandi in Lyturgia pro Patriarcha Armenorum, quod Sac. Congr. stetit in decretis emanatis die 7. Junii 1673 videlicet: Non posse et omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Paschatis etc. et aliorum Festorum etc. steterunt pariter in decretis, videlicet: quod in celebratione Paschatis et aliorum Festorum Armeni Liburni existentes omnino servare debeant Calendarium Gregorianum.* Quum igitur huic decreto obtemperare Armeni praedicti renuerent hujus rei cognitio delegata fuit particulari Congregationi Cardinalium doctrina praestantium, quos interfuere Card. Joannes Franciscus Albanus, qui Summum deinde Pontificatum obtinuit, et Cardinalis Henricus Norisius praeclari nominis inter literatos Viros. Porro ipsa Congregatio habita die 23. Sept. anno 1699 hujusmodi edidit decretum a praedicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: *Re mature tractata et perpensis omnibus facti circumstantiis censuerunt, secundum ea, quae proponuntur, conivari posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus et qui peculiarem obtinent Ecclesiam, circa usum Calendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam Calendarii Gregoriani observantiam disponantur et interim ad*

*Sedis Apostolicae beneplacitum; hac insuper conditione adjecta, quod diebus festis de praecepto juxta Calendarium Gregorianum occurrentibus ab operibus servilibus abstinere et Sacrum audire omnino teneantur.*

§. 45. Si vero de Graecis Orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato Calendario uterentur, sed tamen id nullum exitum habuit. Inter articulos et condiciones Ruthenis propositas in Unione sub Clemente VIII. tractata et absoluta ea quoque de Calendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Calendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus:* uti legere est in opere Thomae a Jesu p. 329, et licet responsum illud ambiguitatem quamdam praesferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus neque hoc super articulo iudicium ullum protulit Theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem opere p. 335 et seq. Atquando tamen ipsimet Orientales sponte sua novum Calendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex saepius citata Synodo Provinciali Maronitarum habita anno 1736: *Tam in jejuniis quam in Festis anni diebus sive mobilibus sive immobilibus Romanum Calendarium a Gregorio XIII. Summo Pontifice de nostra natione optime merito emendatum in omnibus Ecclesiis nostris observari districtè mandamus ejusque Calendarii rationem et usum, quemadmodum et cantum ecclesiasticum in unaquaque Ecclesia a Magistris pueros edoceri praecipimus:* Sed quoties Orientales minime consenserunt justusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi Calendarii ipsis injungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut Orientales et Graeci in remotis regionibus degentes veterem suam dis-

ciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent Calendarium, occasionem opportuniorem expectans inducendi usum novi emendatque Calendarii. Qua in re consona quoque sunt decreta Congregationum de Propaganda Fide et Sacrae Inquisitionis, quemadmodum quoad primam deprehenditur ex decretis editis die 22. Aug. 1625 et die 30. Aprilis 1631; quoad secundam vero ex decretis dierum 18. Julii 1613 ac 14. Dec. 1616. Imo res eo quandoque processit, ut Missionariis quoque veteris Calendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in regionibus, in quibus veteris Calendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis decretis a Congregatione de Propaganda Fide 16. Apr. 1703 et die 16. Dec. 1704 evulgatis.

*Constitut. Bened. XIV. die 26. Julii 1755.*

(Bull. r. t. XIX. pag. 151. Edit. Luxenbg. et Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 175. Edit. Romana 1758.)

*De Dogmatibus et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis.*

*Benedictus XIV. Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Etsi pastoralis romani Pontificis vigilantia ad omnes christifideles longissimis etiam locorum intervallis distantes ac vitae, Rituum et linguarum genere inter se maxime differentes paterna charitate sese extendat omnemque curam ac studium adhibeat, ut ubique terrarum catholicae fidei integritas, ecclesiasticae disciplinae nitor probitasque morum sarta tecta serventur, majoribus tamen Pontificiae sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in ditione ecclesiastica et in reliquis Italiae partibus ejusque insulis adjacentibus sive orti sive aliunde ad-*

vecti incolae commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus jamdudum per totum Orientem tum barbarorum infidelium immanitate tum etiam schismaticorum perfidia plurimi ex Graecia, Epiro, Albania aliisque Asiae regionibus ad Italiam eique adjacentes insulas, tanquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverint et tam ipsi quam eorum filii Graecorum mores, instituta, Ritus et consuetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas studiose enixeque servare pergant, ita tamen, ut debitam romanae Ecclesiae obedientiam ac devotionem omnino profiteantur, hinc est, quod Nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus, ejus vicem gerimus in terris, apud quem non est Graecus et Judaeus, Barbarus et Scythae (omnes enim unum sunt in Christo Jesu) Graecos et Albanenses Graeci Ritus, tam in ditione nostra ecclesiastica et utraque Sicilia quam in reliquis Italiae partibus et insulis adjacentibus, in dioecesi latinorum episcoporum commorantes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter provida romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinatione Graecis et Albanensibus praedictis, tum quoad Rituum Graecorum sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta et facta dignoscantur, ut plenioris roboris firmitatem obtineant eoque firmiter et stabiliter illibata inconcussaque perdurent; quo saepius sunt in genere et specie Sedis apostolicae praesidio communita, per praesentes nostras litteras innovamus, confirmamus et approbamus illisque approbationis, confirmationis et innovationis robor adjuvamus, ut iisdem privilegiis, im-

munitatibus exemptionibus, indultis, gratiis et favoribus, perinde ac Clerici Latini tam saeculares quam regulares, eorumque Ecclesiae, monasteria et bona in iisdem locis, ubi Italo-Graeci commorantur, utuntur, potiuntur et gaudent, uti potiri et gaudere libere possint ac valeant, ut privilegiis et gratiis hujusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes in tranquillitate pacis conquiescant et per semitam mandatorum Dei gradientes ferventiori erga apostolicam Sedem devotione perseverent.

Quoniam vero pro diversis rerum ac temporum circumstantiis plures ac diversae editae fuerunt ab iisdem praedecessoribus nostris romanis Pontificibus et a nonnullis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem Graecos et Albanenses eorumque Ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subjectionem apostolicae constitutiones, ordinationes, responsa, edicta et decreta, eamque ob causam tam de Ritibus ipsorum Graecorum et Albanensium, quam de eorumdem Sacerdotum potestate et Latinorum etiam praesulum, atque parochorum jurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt et oboriri solent quaestiones et controversiae: Nos pro nostra pastoralis officii sollicitudine, quantum in Nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere causasque omnes litium, jurgiorum, dissidiorum, contentionum, quaestionum et controversiarum amputare certamque super rebus hujusmodi tum praefatis Graecis et Albanensibus Graeci Ritus tum latinis Episcopis et parochis regulam, normam et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare et in singulis occurrentibus dubiis et casibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecumque per

eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros ac praesertim Innocentium IV., Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Julium etiam III., Pium IV. et V., Gregorium XIII., Clementem VIII. et forsitan alios Romanos Pontifices circa memoratos Graecos et Albanenses eorumque Ritus et consuetudines ordinata et constituta fuisse comperimus, ut quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promptius ad illorum observantiam excitentur, in aliis omnibus, praeterquam in iis, quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus et confirmamus atque innovamus; aliaque insuper motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura sanctione et constitutione disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus, prout in Domino conspiciamus expedire.

#### §. 1. De fide catholica.

Ac primo quidem, cum catholica fides sit ejusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit salvus esse non possit, quaecumque credit ac docet sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia et singula iisdem Graecis et Albanensibus Graeci Ritus integre, firmiter indubitanterque credere atque affirmare tenentur, prout in sacra oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definitum et declaratum fuit et in professione orthodoxae fidei a Graecis jussu Gregorii Papae XIII. praedecessoris nostri emittenda continetur, videlicet:

I. Quod Spiritus sanctus a patre et filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex patre simul et filio et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio

et unica spiratione procedit; et quod ea verborum illorum: „*filioque*“ explicatio, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter symbolo fuit apposita.

Etsi autem Graeci teneantur credere, etiam a filio spiritum sanctum procedere, *non tamen tenentur in symbolo pronunciare*; contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Graeci Ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus aliisque quibuscumque in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus, quin etiam a Graecis presbyteris aliarum quarumcumque regionum commorantibus in Italia ejusque insulis adjacentibus, si ab Ordinariis locorum vel ob suspicionem haeresis vel ob scandalum vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam illam: „*filioque*“ in symbolo pronunciari praecipimus ac mandamus.

II. Item profiteri tenentur, *tam in azymo quam in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici et Sacerdotes in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere*, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

III. Item, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta:

IV. Illorum animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus, prout su-